



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XI. De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](#)

rum est Archiepiscopo in sui Suffraganei subditos exercere jurisdictionem) quod non est concessum, censetur esse prohibitum, atqui nullibi in jure concessum est Archiepiscopo, lui Suffragansi negligentiam, in jurisdictionis sua administratione supplere, ergo non potest: & ob hanc ipsam rationem neque ad Capitulum in tali casu jurisdictione Episcopi devolvitur (quod enim de beneficiis concessum est Capitulo, non debet ad alia prohibita exendi) neque ad Archiepiscopum, si Episcopus sit excommunicatus v. g. propter sumitum ex c. 1. b. t. in 6. Quod si tamen Episcopus omnino, aut absolute impeditus sit,

ad suæ jurisdictionis exercitium, vel ob amentiam, vel ob captivitatem apud hostes diutuinam &c. habebit interea Capitulum Ecclesie Cathedralis jurisdictionem in Diœcesis subditos, sicuti haber, vacante Sede, uti haberit in c. si Episcopus 3. b. t. in 6. quia enim perinde se habet in talis casu Ecclesia talis, ac si vacaret, consequenter etiam ad Capitulum, ad quod, Sede vacante, jurisdictione Episcopi transit, devolvetur in tali casu jurisdictione, donec Summus Pontifex aliter provideat, Coadjutorem deputando, vel Administratorem, aut Visitatorem, cum potestate etiam conferendi beneficia.

TITULUS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

SECTIO I.

De Ordinibus & Qualitate Ordinandorum, potestate ordinandi, & accidentibus Ordinationum.

g. I.

An prima tonsura, & Episcopatus sint Ordines, & quidem distincti à ceteris?

Probabiliter est, quod prima tonsura non sit Ordo Ecclesiasticus propriè dictus, sed mera dispositio ad Ordines, per quam sit tonsuratus capax Ordinum, jurisdictionis Ecclesiastice, privilegio-

rum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum, cum enim per Ordines propriè dictos certa quædam potestas ad functionem aliquam Ecclesiasticam conferatur, ut ex Trident. habetur, per primam verò tonsuram nulla talis specialis potestas conferatur, sed tantum capax quis fiat ad Ordines licet accipiendos, consequenter Ordo propriè dictus non est: & hinc si in jure Canonico tonsura Clericalis Ordo v. g. dicitur, latè sumi debet nomen Ordinis. Episcopatum vero propriè dictum Ordinem esse communis est Canonistarum, & probabilitas sententia, qui proprium & distinctum Characterem imprimat, uti probaturum ex Can. 1. distinct. 21. & c. 1. de Ordinatis

dinus ab Episcopo, qui renuntiavit &c. & ex Trident. sess. 23. Canone 7. tum ex eo, quod distinctam materiam, & formam Episcopatus, ab aliis Ordinibus habeat, & diversam potestatem conferat, quam alii Ordines non conferunt: negari tamen non potest, quod ad sui exercitum prærequitat Episcopatus Sacerdotium, ita ut nec validè nec licet Ordinis Episcopalis functiones exerceri possint ab Episcopo non Sacerdote, & consequentes Episcopalis Ordo ad quætum suum essentialiter includat Sacerdotium; ob quam causam aliqui dicunt, non quidem ad quætum distinctum esse Ordinem Episcopalem à Sacerdotio, esse tamen inadquætum distinctum, tanquam includens ab inclusio.

§. II.

De Ordinandis, & quinam jure divino inhabiles sint ad Ordines suscipiendos?

1. **I**n capax est iure divino suscipiendi Ordinis feminina, quod patet tum ex perpetuâ præxi, & traditione Ecclesiæ, tum quia Ordo eminentiam potestatis, dignitatis, officij &c. in Ecclesia inferit, quorum nihil feminis, quæ juxta Apostolum in Ecclesia docere non debent, & potius debent subesse, convenit: sed nec primæ tonsuræ capax est feminina, cum enim prima tonsura sit dispositio ad ulteriores Ordines, consequenter qui Ordinem incapax est, est etiam primæ tonsuræ incapax; & quamvis multus sermo sit, in jure Canonico, de feminis Diaconissis, conferit tamen non debet, quod hæc constitutæ fuerint in Ordine Diaconatus, sed taliter vocabantur,

quia vel per Diaconissam intelligebatur Abbatissa, vel quia conjuges Diaconorum erant, vel quia ad specialia quædam Ecclesiæ munera, que nullum quidem Ordinem requirunt, peculiarem tamen curam, & munditiam requirebant, fuerunt deputatae. 2. Incapax est Ordinis suscipiendi de jure Divino, non baptizatus Baptismo fluminis, ut patet ex c. 1. & 2. de Presbit. non bape. & ex eo, quod Baptismus fluminis sit prima janua Sacramentorum omnium. 3. Nulla est illius Ordinatio, qui per vim absolutam positivè dissentiens, & contra reclamans ordinatur, ut constat ex c. majores 3. §. item queritur de Bapt. & ex eo, quod Deus velit suorum Mysteriorum voluntarios Ministros. Et quamvis infans, & amens validè ordinari possint, positivè tamen dissentiens, & reclamans, nec validè ordinari potest, cum aliud sit non consentire, quod sit in ordinatione infantis, & amens, aliud sit positivè dissentire, quod sit in nostro casu. Quod si verò metu gravi cadente in virum constantem, extrinsecus, & injustè excuso, ad Ordines accipiendo cogatur aliquis, validè quidem ordinatur, cum tale voluntarium sit absolute voluntarium, voto tamen continentia, in susceptione Ordinum Sacerdotum inclusum, & Officii Canonici dicendi onere, non obligatur, cum hæc onera ab Ecclesia imposta, majorem libertatem requirant, quamquæ est à metu coacta, & non sunt essentialiter connexa.



O 3

§. III. Qui.

§. III.

Quinam jure humano, sive Ecclesiastico prohibiti sint, Ordines Ecclesiasticos suscipere?

Impediuntur præterea de jure humano Ecclesiastico, Ordines licet saltē accipere. 1. Qui atatem de jure requisitam ad Ordinem certum accipendum nondum habent, cūm enim ordinati morum matuitate præcellere debeant, meritò non quælibet ætas ad quemlibet Ordinem sufficit; & quanvis antiqua jura variè de ætate ad quemlibet Ordinem requisita, loquantur, sequimur tamen hodie, quoad atatem ordinandorum, *Concil. Trident.* quod *sess. 23. c. 12. de reform.* ad Subdiaconatum neminem promovere vult ante 22. ætatis annum; ad Diaconatum verò ante 23. & ad Presbyteratum ante 25. (intelligendo semper annos inchoatos, ne ni-mùm ab antiquo jure discedatur) quibus verò Ordinibus à Trident. nulla certa ætas præscripta est, in ea discernenda, jus antiquum etiam hodie locum habet; & hinc ad minores Ordines (ceteris paribus) ætas sufficit major infantia, id est septennium completum, ut notat *Gloss. Fin. in Clement. ult. de aetate & qualitate Eccl.* Et ad Episcopatum annus trigesimus complectus.

2. Prohibentur de jure Canonico ordinari illitterati, vel nullam scientiam habentes, aut certè non sufficientem ad Ordinis susceptionem, & executionem. (Nam litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis, ut dicitur *Can. 1. diuin. 36.*) ita ut suspendendus sit, qui sine sufficiente scientiâ ordinatus est, ab

Ordinis suscepiti executione, donec sufficientem scientiam acquisiverit: quæ autem, & quanta scientia requiratur ad quemlibet Ordinem in peculiari, ex Trident. desum debet, quod ad primam tonsuram accipendam sufficere putat, fidei rudimenta scire, & posse legere, ac scribere (saltē in lingua nativâ) *sess. 23. c. 4. de reform.* ad minores verò Ordines promovendos vult Latinam Lingua intelligere *sess. cit. c. 10.* ad Subdiaconatum, & Diaconatum afflumendos, litteris, & quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructus esse debere, *sess. cit. c. 13.* Ad Presbyteratum denique Ordinem afflumendos, vult, ut eā scientiâ instructi sint, quæ ad populum docendum necessaria, ad salutem, & Sacramentorum administracionem illis sufficiat.

3. Prohibentur ordinari, aut jam ordinati ab executione Ordinis suscepiti, & susceptione alterius prohibendi sunt, qui adulterij, perjurij, falsi testimonij, aut alio gravi criminis irrestiti sunt, modò ejusmodi enorme crimen, vel per evidētiā facti, qua tergiversatione aliquā elidi non possit, vel per sententiam Judicis, vel per propriam Rei confessiōnem in judicio factam, notorium, aut publ. cum sit, uī patet ex c. tenore 4. & ex c. ult. b. i. ubi etiam dicitur, taliter etiminosum, si tamē occultum crimen illius sit, post peractam pœnitentiā, impediti non debere, si promoveri ad Ordines velit, aut in suscepiti Ordinibus ministrare (neque enim occulta delicta publicè vindicanda sunt) nisi tale crimen etiam, occultum, irregularitatem inducat, prout crimen homicidij, quamvis

Tit. XI. De temporibus Ordinat. & qualitate Ordinandorum. 111

quamvis occultum sit, facit, aut crimen Sodomie commissum sit c. inquisitionis 21. juncta Gloss. V. si homicidium. de accusatione. vel juxta Trident. sess. 14. c. 1. de reform. expressè ipse etiam ob occultum crimen ascensus ad ulteriores Ordines prohibitus sit.

4. Arcentur à susceptione Ordinum omnes infames, sive juris (ob crimen scil. cui à jure infamia annexa est) sive facti infamia (ob delictum scil. grave admisum & publicè notum, per quod fama illius apud viros graves, & prudentes laeditur) laborent, ita tamen, ut hæc facti infamia per publicam, & constantem vitæ emendationem tolli possit. Ex hac autem assertione, uti & ex pecunianibus juribus plures ab Ordinibus impediti ostendit hic *Auctor Methodi*, que tamen omnia non videntur obliterari.

§. IV.

De his qui ordinandi potestatem ordinariam habent.

Solis Episcopis consecratis jure proprio & ex vi sui officij, competit potestas, Ordines Ecclesiasticos conferrendi, prout habetur ex c. aqua 9. juncta Gloss. V. jurisdictionis de Consecrat. Eccles. & ex Trident. sess. 23. c. 4. & 7. ita ut validè Ordines conferant Episcopi, etiam hæretici, schismatici, excommunicati, ab Ordine suspensi, degradati &c. modò formam Ecclesiæ terrent, & non sint publicè denuntiati, si ob censuram sint impediti, quia omnibus his indebilis ille Character competit, cui potestas hæc annexa est, neque hac potestate sua privati sunt ab Eccle-

fia; & ab illis Ordinati Charakterem Ordinis recipiunt, ut validè quidem Ordine suscepimus uti possint, non tamen licet, sed sint in perpetuum suspensi, nisi cum illis dispensetur. Non debet tamen ordinatus Episcopus, nisi subditos suos, vel si alienos subditos ordinate velit, debet ad hoc habere specialem proprii Praelati, sive Episcopi, aut juris licentiam juxta c. 2. & ult. h. t. in 6. & Trident. sess. 23. c. 8. de reform. Cum ne scil. jurisdictiones confundantur, nisi proprius Episcopus esset publicè ab Ordinum collatione suspensus ob collatos alieno subdito sine licentia proprii Episcopi Ordines, quo in casu ad viciniores Episcopos pro Ordinibus accipiendo excurrere potest suspensi hujus Episcopi subditus, etiam sine hujus licentiâ, ut in eo puniatur, in quo peccavit) juxta c. 2. §. Clericis quoque h. t. in 6. aut per triennium moraliter continuum, hujus alieni Episcopi, non tantum titularis, sed qui a tu Diœcesin possidet, familiaris fuerit, cum hoc commoratus, & statim cum Ordinibus re ipsâ illi conferatur beneficium, ut habet Trident. sess. 23. c. 9. de reform.

§. V.

Quinam Episcops sint proprii ad conferendos Ordines, & qui ob specialem prohibitionem certos quosdam ordinare non possunt?

Ex triplice capite potest Episcopus esse proprius Episcopus, in ordine ad ordines ab eo suscipiendos, & originis scilicet, domicilii, aut beneficii, ut constat ex c. cum nullus tertio h. t. in 6. ita ut à quolibet horum sine alia licentiâ ordinari

nari quis possit. Dicitur autem ratione originis subiectus aliquis ad hunc finem huic v. g. Episcopo, è cuius diæcesi est oriundus, non tantum fortuitò, sed quòd parentes tunc temporis domicilium in tali diæcesi haberent, non enim illius, quod per accidens sit, sed quod per se, ratio habetur; quia etiam ad hunc ipsum finem ordinum suscipiendorum ab Episcopo originis, sufficit patrem ibi natum fuisse, si de filii originis loco non constet, vel si exposti fuerint, ab Episcopo loci, ubi exposti fuerunt; vel si nullius diæcessis sint, à viciniori Episcopo, quem semel ad hunc finem elegerunt. Ratione domicilii verò ad hunc finem Episcopo subiecti dicuntur, in cuius diæcesi sedem, seu domicilium, animo perpetuò ibi manendi, nisi quid occurrat, fixerunt, vel ipse ordinandus, si proprium domicilium, distinctum à paterno domicilio, habeat, vel ipsius parentes, si proprium domicilium non habeat ordinandus. Ratione beneficii denique proprius Episcopus in ordine ad hunc finem habetur, in cuius diæcesi beneficium aliquis obtinet, & possidet, licet manuale illud tantum sit, aut tenue beneficium, & ordinandus non resideat, nec teneatur ratione beneficij talis residere in illa diæcesi. Negari tamen non potest, quamvis de jure communi à quolibet horum ordines accipere possit aliquis, minores v. g. ordines ab Episcopo originis, Subdiaconatum & Diaconatum ab Episcopo domicili, Presbyteratum ab Episcopo beneficij, quia per accidens evenire possit, ut ordinatus ab uno, ab alio ordinari non possit, sic ordinatus à Papa, à nullo inferiore ad altiores ordines pro-

moveti potest, sine licentia Pontificis, ob reverentiam scilicet summae sedi debitam c. cum in distribuendis 12. b. 1. Sic Clerici Latini à Græcis Episcopis, & Græci Clerici à Latinis Episcopis, secundum ritum & morem, cuius Ecclesie proprium, ordinati non debent, ut ne fiat rituum confusio c. cum secundum b. 1. Sic Episcopis Italiz prohibitum est, ultra montanos ordinare sine licentia Papæ, vel litteris dimissoriis propriis ordinatis ad multas fraudes cavendas c. 1. b. 1. in 6.

§. VI.

Quinam habeant potestatem extra ordinariam, aut delegatam conferendi ordines?

Non tantum de jure antiquo, & speciali juris concessione, aut privilegio Pontificis, sed etiam de jure Tridentinovo, quod antiquum jus in quibusdam circa hanc materiam corrigit, possunt Prælati regulares, qui suas Prælaturas in titulum obtinent, si Sacerdotes sint, & benedicti (nisi tertio requisiti Episcopi benedicere eos noluerunt, c. 1. de supplen. neg. Prelat.) atque jus mitra & baculi, seu pedi pastoralis habent; vel certè si benedicti non sint, usum tam Pontificalium ex speciali Apostolico privilegio habeant, suis regularibus subditis, etiam novitiis primam tonsuram, & ordines minores conferre; & quamvis de jure antiquo major fuerit hæc Prælatum regularium potestas, etiam quo ad seculares, sua jurisdictioni spirituali plenissimè subiectos se extendens, correcta tamen est per Tridentinam hæc quoad seculares tales facultas, & ad so-
los

los regulares restituta, ut patet ex verbis Tridentini sessione 21. c. 10. de refor. juncta declar. Cardinal. Concilia. Hæc etiam potestas primam tonstram, & 4. minores ordines conferendi concessa est Cardinalibus Presbyteris in ordine ad sui Tituli subditos, in quos quasi Episcopalem jurisdictionem exereunt; & potest cuilibet alii simplici Sacerdoti hæc potestas à Pontifice committi; & quamvis laus certum sit, quod potestas ordinandi Presbiteros Sacerdoti non Episcopo committi non possit, prout ex institutio ne Christi, & ex praxi Ecclesiæ satis probatur, potestas tamen ordinandi Subdiaconos, & Diaconos, quod Sacerdoti etiam non Episcopo à Summo Pontifice committi posse, satis probabile est, & probat hoc privilegium Cisterciensibus quibusdam Abbatibus concessum, quod utrum hodie adhuc in usu sit, viderint illi, quorum interest, qui omnes ex tali delegata potestate ordinantes, formam & limites concessæ sibi potestatis obser vare debent, ne invalida sit eorum ordinatio, ex defensione potestatis, & ne incuriant pœnam suspensionis ab exercicio Pontificalium.

§. VII.

De literis dimissoriis.

Quid non possit Episcopus alienæ diœcesis subditum sine licentia sui ordinari ordinare, ex dictis patet: quia vero hæc licentia in scriptis dati solet, ordinariè solet etiam hæc licentia, literæ dimissoriæ dici: Sunt ergo literæ dimissoriæ nihil aliud, quam licentia in Scripto obtenta ad ordines ab alieno Episcopo accipiendos. Possunt autem hæc lite-

Compend. Pirhing.

P

Sessione

re dimissoriæ concedi primò à Summo Pontifice, cui hæc potestas competit, respectu omnium Christi fidelium ordinandorum. Secundò à Legatis sedis Apostolicæ à latere respectu subjectorum suæ provinciæ, non tamen intra primum annum vacantis sedis, nisi in casibus expressis, prout de Capitulo Cathedrali seatur. Tertiò Episcopus proptius sive ille originis sit, sive domicili, sive beneficii, qui enim ordinari aliquem ex proprio iure potest, potest etiam dimissorias dare, juxta reg. jur. 68. in 6. & quia litteræ dimissoriæ concedere, est actus jurisdictiōnis, consequenter potest has date Episcopus confirmatus, etiam si consecratus non sit. Quartò Prælati regulares possunt quidem subditis suis regularibus (qui sine licentia vel dimissoriis suorum Prælatorum ordinati non debent e. ad aures s. b. e.) non tamen novitiis, concedere dimissorias ad sacros ordines accipiendo, ad Episcopum illius loci, in quo monasterium situm est, vel si absens ille sit, aut ordinaciones non habeat, vel speciale privilegium talis Prælatus habeat, etiam ad alienum; qui tamen exempti sunt, ac ordinariam jurisdictionem quasi Episcopalem in loco aliquo habent, ad Episcopum alterius dicēsis, suis subdiuis, etiam secularibus, concedere possunt dimissorias, cum enim in hoc loco jurisdictionem tales Episcopalem habeant, consequenter sicut Episcopus suis etiam secularibus subditis dimissorias, ratione sue jurisdictionis, dare potest, ita poterunt vi paris jurisdictionem etiam illi. Quintò has concedere potest Capitulum Cathedrale, vacante sede, cum restrictione tamen à Tridentino

114 Tit.XI. De temporib. ordinationum, & qualitate ordinandorum.

Sessione 7. c. 10. de reform. praescripta,
quæ prohibetur Capitulo Cathedrali, in-
tra primum annum vacantis sedis dimis-
sorias concedere, nisi ei, qui ratione
beneficii Ecclesiastici, accepti, vel acci-
piendi, arctatus est ad ordines suscipien-
dos. Sexto denique hoc ipsum potest Vi-
carius, sede vacante, à Capitulo consti-
tutus; & Vicarius ipsius Episcopi, si ad
hoc speciale mandatum habeat, aut ab-
que speciali mandato succedat prioribus
Vicariis, tales dimissorias sine speciali
mando concedentibus.

Solent autem dimissoriz hæ concedi,
vel sub generali clausula, ut possit quis à
quotlibet Episcopo gratiam & commis-
sionem sedis Apostolicae habente ordi-
nati, & ut possit quoslibet ordines acci-
pere; vel sub speciali clausula ad certum
quendam Episcopum, vel ad certos tan-
tum ordines; & debet talis restrictio di-
ligenter observari: sicut & ut in litteris
dimissoriis diligenter exprimatur causa, ob
ob quam concessæ sunt literæ dimissoriæ
juxta c. 1. h. t. in 6. junt. gloss. V. literas,
& ut contineant commendationē, seu testi-
monium de natalibus, & tate, moribus, ac
scientia ordinandi, nisi malit horum o-
mnium, uti & tituli mensa examen, re-
linquere, qui dimissorias concedit, ordi-
nanti, quod communiter hodie in his
partibus ex recepta consuetudine fieri so-
let, cum approbatus ab Episcopo dimis-
sorias concedente, adhuc tamen ab or-
dinante examinati soleat. Semel autem
legitimè concessæ, non expirant morre
concedentis, nisi per successorem, ante-
quam sortitæ sunt suum effectum, ex ju-
sta caula revocentur, cum sint gratiae fa-
ctæ absolute concessæ.

§. VIII.

De titulo, ad quem ordinandi
sunt Clerici.

NON debere initiari aliquem sacris
ordinibus, sine titulo mensæ, ut
vulgò vocant, per quem ordinando pro-
vilegium sit de sufficiente, eaque perpetua
sustentatione, ne cum dedecore ordinis
clericalis aut mendicare, aut sordidum
quæstum exercere cogatur, ex variis anti-
qui juris textibus, & ex Tridentino sess.
21. c. 2. reform. patet. Est autem titulus
duplex, super quo Clericus sæcularis ad
laicos ordinari potest, titulus scilicet
beneficii Ecclesiastici, & titulus pa-
trimonii; ille proprius titulus, ordinatus
est, hic in defœnum illius succedit.
Debet autem beneficium Ecclesiasticum,
ad quod Clericus ordinari in Sacris pot-
est, esse certum beneficium, & perpe-
tuum, sufficiens ad honestam sustenta-
tionem Clerici, juxta virti prudentis judi-
ciura, uti colligitur ex c. 5. Episcopus 37.
de præbend. in 6. ne viðu suo destitu-
tur, si à beneficio amoveatur; & hincad
commendam temporalem, ad tempora-
lem viciatam, ad beneficium manuale,
ad Capellaniam non collativam, ad titu-
lum alicujus beneficij, aut stipendii, ab
Episcopo assignandi super fructibus sua-
mensæ Episcopalis, ad pensionem, quam
quis habet in alterius beneficio, & quæ
cum morte alicujus beneficiati extingui-
tur, ordinati quis non potest, cum hæc
alia beneficia perpetua non sint, sed vel
ad nutum revocabilia, vel per mortem
Episcopi, aut pensionem dantis expi-
tent.

Titulo

Titulo vero patrimonii, ut ad hunc in casu necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae ordinari in Sacris quis possit, veniunt omnia bona Clerici, quae vel ex donatione alterius, vel propriâ industriâ Clerici, vel alto civili titulo obtinere fuerunt, uti & promissio pensionis seu sustentationis congrua, donec ordinatus conveniens beneficium consequatur; modò talis promissio cautione hypothecariâ, aut prout hodie fit, à Magnatibus aut Comunitatibus cautione instrumentaria fulciatur, & modò bona Clerici certa sint (ut judicium inde haberi possit de congrua Clerici talis sustentatione) ac sint immobilia (ne facilè si res mobiles tantum sint, dilapidentur, & extinguentur) libera (nulli alii pro ære v. g. alieno obligata, juxta voluntatem creditorum suo tempore distrahenda) & frugifera, ut annuum redditum Clerico ordinato afferant. Sicuti autem beneficium, ad quod quis ordinatus est, resignari non potest, nisi quis mentionem fecerit, quod ad illius titulum ordinatus sit, & sufficiens aliund sustentatio illius nota sit, ita nec bona patrimonialia, ad quæ quis ordinatus est, distrahere vel alienare potest aliquis, nisi prius abunde de sufficiente & congrua sustentatione illi provisum fuerit, ita ut sicut illa resignatio altera facta nulla esset, ita non sit nulla hæc alienatio altera facta.

Et hi quidem tituli Clericorum secularium sunt, ad quos ordinari possunt, regulares enim Clerici, & qui voto religiosæ paupertatis obligantur, alio Titulo non indigent, cum ad hunc religiosæ paupertatis titulum ordinentur, uti & quidam alii ex privilegio Pontificis ad speciales alias titulos,

§. IX.

De loco & temporibus ordinationum.

Prima tonsura, & ordines minores possunt in ædibus Episcopi, aut alio honesto quovis loco conferri; majores vero ordines conferri debent in Ecclesia Cathedrali presentibus Canoniceis; vel si alibi, intra propriam tamen diœcesin ordinantis, aut licentiam ordinandi, ordinatio concedente, conferantur, in Ecclesia digniore, quantum fieri potest, praesente Clero. Potest tamen prima tonsura quolibet die conferri, cum de jure nullum certum tempus pro ea conferenda constitutum sit: ordines vero minores, non tantum in ordinationibus generalibus, sed etiam quolibet dominico die, aut qui festus in foro habetur, conferri possunt, saltem uni aut alteri, prout constat exc. 1. & 2. b. t. & quamvis litigent aliqui, utrum etiam in ordinationibus generalibus feriâ 4. aut 6. conferri possint prima tonsura, & minores ordines, consulenda tamen in hac re est & observanda loci consuetudo, quæ circa locum & tempus ordinationum harum minorum plurimum potest. Ad majores sive sacros ordines quod attinet, nulli Episcopo, præterquam Romano Pontifici licet eos conferre, nisi in Sabbathis 4. temporum, Sabbatho sancto, & Sabbatho ante Dominicam Passionis Can. quod à PP. dñs. 78 iunct. Glos. V. Sabbatho, & e. ex eo b. t. ita ut nulla in contrarium consuetudo introduci possit e. sanè 2. b. t. & ipsum etiam à Pontifice concessum privilegium, ut extra tempora ordinaria, in diebus Dominicis &

Festis ordinari quis possit, rigidè sit intellegendum de festis, quæ de præcepto, & in foro celebrantur, saltem in particulari aliqua Ecclesiæ.

§. X.

De gradatione, & interstiiis ordinationum.

Gradatim debere conferti ordines, sicut piendo à prima tonsura, & deinceps tempore ad proximum ascendendo, ex c. uni. de Cleric. per saltum promoto, patet, ubi prohibetur hæc per saltum, omisso intermedio inferiore, facta promocio, ita ut validè quidem promoveatur, qui taliter per saltum promoveretur, non tamen licet. Quin etiam certa interstitia inter inferiorem ordinem suscepimus, & superiorem suscipiendum, servari debere, ex Trident. sess. 23. cap. 19. de reform. patet, ob maiorem scil. probationem, & meliorem dispositionem ordinandorum; quæ quidem interstitia inter minores ordines prudenti arbitrio Episcopi definita relinquuntur, hodie tamen passim ex receptâ consuetudine non obseruat, cum passim omnes 4. minores cum prima tonsura eodem die accipiant, & ex probabili etiam consuetudine, quæ reprobata non fuit, eum minoribus eodem aut sequenti mox die Subdiaconatus conferatur; inter maiores tamen ordines interstitia servari debent, ut patet ex c. litteras 13. & ex c. dilectus 15. b. t. ita ut nec simul duo ordines maiores eodem die conferri possint, nec diebus mox succedentibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis de jure antiquo regularibus quibusdam concessis (quæ per Trident. revocata quidem sunt, non est tamen

ablata Pontifici per hoc potestas circa hæc interstitia dispensandi) & tam Subdiaconus quam Diaconus per annum in suscepito ordine servire debeat, usque dum promoveri possit ad ordinem superiorem, uti ex Trident. sess. 23. habetur, nisi ob utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ cum tali fuerit à proprio Episcopo dispensatum, quibus Trident. hanc potestatem dispensandi concessit (& hinc, qui dimissorias percutunt, diligenter attendere debent, ut hæc aut dispensatio, aut dispensandi licentia literis talibus inseratur, nisi velut ab ordinibus repelli, in illis saltem Ecclesiæ, ubi diligens cura Trident. habetur) ut adeò rectè non nemo dixerit; ad eum spectare dispensandi in interstiiis potestatem, ad quem pertinet ordinandi de jure communi potestas, & tacite centeatur quoad hæc interstitia dispensare ordinans Episcopus, si sciat à susceptione prioris ordinis annum nondum elapsum fuisse, ordinem tamen superiorem conferat.

§. XI.

De pœnis sure Canonico statutis in malo seu illegitimè promoventes, ac promotos ad ordines.

Varia circa has pœnas statuta sunt, primò quidem, qui ante legitimam ætatem ordinat aliquem, à collatione ordinum suspendendus est per sententiam, ut in eo puniatur, in quo deliquit, c. vel non est 14. b. t. junct. gloss. V. suspendentes: & qui primam tonsuram confert infanti, aut homini illiterato penitus, per unum continuum integrum annum à collatione Clericalis tonsuræ ipso jure suspensus est c. final. b. t. in 6. junct. gloss. V. annum

V. annum & V. suspensum: ordinatus autem ad sacros ordines in ordine suscepto ministrare non potest de jure antiquo, donec etatem debitam conlequatur; de jure novo autem est ipso jure suspensus; ita ut si durante hac suspensione, antequam absolutus ab illa fuerit, in susceptis ordinibus ministrare presumplerit, irregularitatem etiam contrahat, juxta constit. Pii II. cum ex sacrorum canonum (nisi ante requisitam etatem ad ordines maiores promotus fuisset per simplitudinem, & ignorantiam non crassam, quo in casu nec suspensionem incurrit taliter ordinatus, nec irregularitatem) a qua suspensione licet ab Episcopo, aut Confessario privilegio absolvitur possit, non tamen debet post absolutionem ante obtentam legitimam etatem in suscep- pro ordine ministrare.

Secundò: Qui scienter, vel per affectum ignorantiam temere, alienum subditum absque superioris, cui ordinandus subiectus est, licentia aut dimissoriis, ordinatus presumplerit, per annum a collatione ordinum totaliter ipso jure suspensus est, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinatio expedire videbitur. c. eos qui 2. b. t. in 6. & Trident. sess. 13. c. 8. de reformat. Si vero Episcopus in aliena dioecesi suis etiam Clericis sibi subiectis, absque expressa licentia ordinarii loci, ordines conferat, ab exercitio Pontificalium, id est omnium actuum, qui Episcopalis ordinis proprii sunt, & sic ordinati ab executione ordinum susceptorum, ipso jure sunt suspensi, ad placitum ordinarii loci, ut decernit Trident. sess. 6. c. 5. de reformat. juxta quod ad evadendam hanc

penam non sufficit presumpta tantum licentia, aut spes ratificationis futurae, cum concilium expressum requirat, nisi bona fides a gravi etiam culpa excusat, neque enim tam gravis pena sine gravi culpa incurrit.

Tertiò: qui extra statuta a jure tempora, vel eodem die duos maiores ordines conferunt, non quidem ipso jure suspensi sunt a collatione ordinum, aut saltem illorum, quos simul eodem die contulerunt, sunt tamen per sententiam judicis suspendendi, uti habetur ex o. 2. & 8. b. 2. & tx v. literas 19. eodem, & taliter ordinati ex jure novo Pii II. ab ordinum taliter susceptorum executione ipso jure suspensi sunt ac irregulares, si durante suspensione in illis ministraverunt (nisi bona fides hos excusat) a qua suspensione probabiliter tantum absolvere possunt proprius Episcopus, & ab eo constituti, prout colligi potest ex v. consultatione 16. b. t.

Quartò: Contra Episcopum, qui ad sacros ordines ordinavit aliquem sine beneficio aut mensa titulo, jure novo statutum est, ut Episcopus taliter ordinans taliter ordinatum necessariis alimentis, juxta facultates Ecclesie, & dignitatem Clerici instruat, donec beneficium Ecclesiasticum assequatur, ita ut ad successorem etiam Episcopum haec sustentandi obligatio transeat, c. cum secundum & de prebend. cum sitonus reale, quo in gratiam Cleri oneratur mensa Episcopalis: in casu autem, quo omni culpa caret ordinans, & tamen ordinatus non habeat ex suis vitæ sustentationem, non tenebitur quidem Episcopus primo loco, sed ille patronus v. g. aut Vicarius generalis,

118 Tit. XI. De temporib. ordinationum, & qualitate ordinandorum.

cui incumbebat examen ordinandorum, qui præsentaverunt ordinandum talem; in defectum tamen horum etiam ipse Episcopus tenebitur, cum non tam in modum penæ hæc statuta sint, quam in Cleri honorem. Ordinati vero taliter sine titulo, si illi in culpa non fuerint, nullam penam aut suspensionem incurront, incurront tamen probabilius ab executione suscepit ordinis suspensionem, & irregularitatem, in ordine suscepto ministranter, si dolosè & mali-
tiosè decepterunt Episcopum, fingentes v. g. titulum se habere, cum tamen non haberent; neque Episcopus, qui ordinavit tales, ad præbenda illis alimenta obligabitur: quod si tamen uterque tam Episcopus ordinans, quam ordinatus in culpa sit, ille quidem obligationem alendi subbit, hic vero suspensionem juxta can. 1. & 2. dist. 20.

§. XII.

De ordinatione, seu consecratione
Archiepiscopi, vel Episcopi.

Vide de his, si jus antiquum nosse ve-
lis, quod tamen in usu amplius non est,
6. 6. & 7. b. 1. & quæsupræ dicta snt.

SECTIO. III.

De potestate exercendi alia
Pontificalia præter collatio-
nem ordinum.

§. I.

De insignibus Pontificalibus, &
potestate exercendi actus Pontificales,
qua Episcopis competit.

Insignia Episcopalia, quibus Episcopi
de jure communii uti possunt, sunt Mi-

tra five insula, Pedum five baculus Episcopalis, annulus, caligæ, sandalia, tunicella, dalmatica, chirothecæ, & cappa pectoralis. Actus autem, quos iure proprio Episcopi vi ordinis sui exercere possunt, sunt ordines factos conferre, baptizatis Sacramentum confirmationis ministrare, populum solemnitate benedicere, conferre primam tonsuram, & minores ordines, consecrare virgines, Ecclesias, altaria, calices seu vasa sacra, corporalia, & alia paramenta sacra benedicere &c. quorum quidem aliqua simplici etiam Sacerdoti à Summo Pontifice committi possunt, non tamen abullo inferiore Episcopo; neque possunt Episcopi in aliena diœcesi sine licentia ordinari loci, aetates tales, qui jurisdictionem admixtam habent, exercere. Possunt tamen exercere in aliena etiam diœcesi etiam sine licentia ordinari loci, aetates illos Episcopales, qui nullam jurisdictionem admixtam habent (quales aetates sunt solemniter cum paramentis Episcopilibus celebrare, solemniter benedicere, solemniter verbum divinum prædicare) cum Tridenti prohibens exercitium Pontificium in aliena diœcesi, de illis tantum aetibus intelligendum sit, qui jurisdictionem admixtam habent. Quæ tamen omnia ita intelligi debent, ut liceant vel non liceant in aliena diœcesi, nisi consuetudo aliud habeat, prout in nostra Germania non solent Episcopi in aliena diœcesi, neque alii Prælati usum Pontificalium habentes, in Ecclesiis sibi non subiectis, aut extra proprias Ecclesias Pontificaliter celebrare sine consensu ordinari loci, quia non conceduntur talibus Pontificalia, nisi in ordine ad suam Ecclesiam, vel diœcesin.

§. II.

§. II.

De potestate exercendi Pontificalia, que competit Abbatibus, & aliis Prælati inferioribus.

Quod Abbates, & Prælati aliqui alii etiam regulares ius habeant utendi insignibus Pontificis, & actus Pontificales exercendi, vel etiam sine insignibus Pontificis actus aliquos Pontificales exercere possunt, qualiter possunt Prælati ordinum mendicantium, vel usum habeant querendam insignium Pontificis ratione sua di-

gnitatis, non autem omnium, prout Præpositi & Canonici aliqui Ecclesiarum Cathedralium usum Mitra habent, non autem aliorum insignium, ex praxi pater, quæ fundatur, non quidem in jure communi, quod de his inferioribus Prælati nihil determinatè constituit, sed in variis privilegiis concessis, ex quibus etiam defumi debet, quos actus Pontificales hi Prælati regulares, vel inferiores Episcopis exercere possint. Consulat ergo sua privilegia, quorum haec scire interest.

T I T U L U S XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

Scrutinium in hoc titulo aliud non dicit, quam inquisitionem sive examen ordinandorum, faciendum ab eo, ad quem spectat hoc examen; quod communiter duplex est, unum quod ante ordinationem institui debet, in quo per Episcopum, vel alios ab eo deputatos, inquiritur, num idonei sint, qui ad ordinem offerunt, an nullo Canonico impedimento laborent, circa natales, circa libertatem, circa ætatem, circa mores, circa literas &c. Aliud est, quod fit in ipsa ordinatione, & in eo consistit, quod ordinarius interroget Archidiaconum præsentantem ordinandos, vel alium, per

quem juxta consuetudinem loci ordinandi præsentantur, num sciat dignos & habiles illos esse; hic vero respondeat, credere se, eos dignos esse (quia in his, in quibus certa & determinata notitia habeti non potest, admittitur testimonium de credulitate ex probabilibus indiciis prudenter præsumpta & existimata, vel ut C. uni. h. e. dicit, scire se ac testificari, eos esse dignos, quantum humana fragilitas nosse, seu scire finit, ita ut dicere hoc possit, quamvis privatâ scientiâ sciat, eorum aliquem indignum esse, modò ut persona publica hoc non sciat, & probare possit.



TITV-